

Th. Bartholini Decani, regii archiatri & prof. honorar. Dissertatio prima de theriaca : in officina Christophori Heerford sen pharmacop. reg. 1. Febr. 1671. dispensata.

Contributors

Bartholin, Thomas, 1616-1680.
Godicchen, Matthias
Haubold, Peder

Publication/Creation

Hafniae : Literis Matthiae Godicchenii, sumptibus Petri Hauboldi, Reg. Acad. bibl, [1671]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/puk7rudr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7
TH. BARTHOLINI
Decani, Regii Archiatri & Prof.
Honorar.

DISSERTATIO PRIMA
DE

THERIACA

In Officina.

CHRISTOPHORI HEERFORD

Sen. Pharmacop. Reg.

1. Febr. 1671. dispensata.



HAFNIÆ,

Literis MATTHIÆ GODICCHENII, +
Sumptibus PETRI HAUBOLDI, Reg. Acad. Bibl.

THE HARTHORN
Docum, Regii Archivi & Prof
Hortum

DISSERTATIO PRIMA
DE

THE PRIMA

In Officiis
CHRISTOPHORI MEYERFORD

1. Feb. 1671. dispensata



HABEMUS

Licetis MATTHEO GODICENSI
Petrus HANBOLDI, Reg. Acad. Biol.

THE RIACA ANDROMACHI
SENIORIS IN DECUPLO

CLASSIS PRIMA.

- R. **R** Ad. Iridis Flor.
Scordii nostr.
Sem. buniad, nostr. aa lib, j. unc. iij.
Costi unc, vij. f.
Polii Cretici
Anisi torref. nostr.
Sem. feseleos aa unc. v.

CLASSIS SECUNDA.

- R. Rad. Pentaphylli nostr.
Marrubii nostr.
Nepethæ nostr. aa unc. vij. f.
Rad. Gentianæ nostr.
Chamædryos nostr.
Sem. Fœnic. nostr.
Amomi aa unc. v.

CLASSIS TERTIA.

- R. Rad. Meu
Valerian. nostr.
Chamæpithyos nostr.
Sem. Thlaspios nostr.
Nardi Celticæ aa unc. v.
Dictamn. Cretic. unc. vij. f.
Rad. Aristol. long. nostr. unc. ij. f.

CLASSIS QVARTA.

- R. Troch. de squilla lib. v.
de vipera. lib. ij. f.
Rosar. rubr. nostr. lib. j. unc. iij.
Schoenanth.
Sem. Petrosel. Alexandr. aa. unc. vij. f.
Comar. Hyperici nostr. unc. v.
Centaur. min. nostr.
Sem. dauci Cret. aa. unc. ij. f.

CLASSIS QVINTA.

- R. Ammeos nostr.
Acori nostr. aa unc. v.
Cassia lignæ
Rhabarb.

Nardi Indicæ aa unc. vij. f.
Cinamoni lib. j. unc. iij.
Piper. longi
Troch. Hedychroi aa lib. ij. f.

CLASSIS SEXTA.

R. Macis & Cariophyll.
Cubebæ.
Cardam. min. aa unc. v.
Zinzib. alb.
Piper. nigr.
albi
Stoech. Arab. aa unc. vij. f.

CLASSIS SEPTIMA.

R. Agarici lib. j. unc. iij.
Myrrhæ
Thuris aa unc. vij. f.
Castorei nostr.
Bitumin. Jud. aa unc. ij. f.

CLASSIS OCTAVA.

R. Gumm. Galbani
Opopanax. aa unc. ij. f.

Sagapeni

Arabici aa unc. v.

CLASSIS NONA.

R. Succi Acaciæ

Hypocist. aa unc. v.

Glycyrrh. nostr. lib. j. unc. iij.

Opii lib. ij. f.

Styrac. Calam. unc. v.

Thereb. Cypr. unc. vij. f.

Ol. Nuc. mosch. lib. j. unc. iij.

Croc. orient. unc. vij. f.

Terræ Lemniæ

Calcanth. ad alb. ust. aa unc. v.

TROCHISCI HEDYCHROI

in quadruplo.

R. Mari

Afari nostr.

Amarici nostr.

Aspalathi aa unc. j.

Schoenanth.

Acori nostr.

Valerian nostr.

Xylobalsami

Balf

Bals. Peruvian.
Cinamomi
Costi aa unc. j. f.
Myrrhæ
Macis & cariophyll.
Nardi Ind.
Crocī
Cassia aa unc. iij.
Amomi unc. vj.
Mastich. unc. f.
Vin. Hisp. alb. q. f.



Th.

TH. BARTHOLINI

DISSERTATIO PRIMA

DE

THERIACA

In Officina Heerfordiana nuper
confecta.

Cilicet verè olim Plutarch
dixit: σοφὸν εἶναι χρῆμα τὸ τῆς ἡσυχίας, καὶ
cauponariæ aut forensis, sed mag
illius quæ DEO similem reddit
participem. Commoda autem est cum ad ali
tum ad scientiam & prudentiæ exercitationem
Inter alia media quibus illa procuratur,
dieque numeramus Theriacam, celebrem ill
tot seculorum lapsu compositionem, quam Ge
nen olim dictam fuisse accepimus, quod req
morborum & corporis tranquillitas inde ma
De nostra, quam pronuper in officina Urbis
maria Heerfurdiana adornatam vidimus, id
prædicamus. Diligenti enim examine sim
cium medicamentorum, impensis haud exi
&

& pari cura conqvisitorum, præmisso, Medici
Facultatis nostræ magni nominis & experientiæ
magnæ, qvi mecum convenerant, ad requiem
compositi & applausum, ægris benè augurari
cœperunt, qvorum tranquillitati hanc operam
dicamus, & nobis omnibus securitatem, qvi
unica concordia saluti ægrorum invigilamus,
Pharmacopœo deniq; illibatam famam, qvi nulli
operæ pepercit ut omnibus numeris perfectam
Confectionem publico officinarum ægrorumq;
commodo exhiberet. Successere hic ex voto
omnia, omnibus amicè inter se conspirantibus.
Cum debita pompa prostabant ordine suo secun-
dum Classes præscriptas disposita Antidoti hujus
celeberrimæ ingredientia. Mira varietate &
elegantia oculos spectantium pascebant, nostros
atiabant impensè, qvi accurata censura expen-
dentes singula, nihil prorsus invenimus qvod vel
utrore vel loco vel antiquitate esset indignum.
Quam laudem vel eo nomine solidam hic mere-
tur senex in artis Pharmaceuticæ operibus exer-
citus CHRISTOPHORUS HEERFORDIUS, qvod
carissimè ad has Compositiones decantatas ha-
tenus accesserimus, qvin aliquid occurrerit,
qvod scrupulum moveret, qvod assensum remo-

raretur. Vel enim Trochisci Viperini, quibus Antidotus hæc & nomen & salutem debet, non sustinuerunt examen, vel simplicia alia mangonio aut vetustate precium sui amiserunt, vel denique ingens succedaneorum cumulus antiquarum Theriaces maiestatem, tot seculis servatam mereri non potuit. Sæpe tamen nec hic ne ibi culpa in Pharmacopœum rejicienda, in illis quæ exterorum fide paribus impensis mercantur. Tales quippe Trochiscos proponit, quales Veneti per mercatores Batavos vel Germanos transmittunt. Non rarò isti peccant delusi nostris, ut lucro pervertatur rerum fides. Mangonio trochiscos viperinos non ex carne viperina, sed ex carne quacunque fumo indurata conficiunt. Venetiis novi mulierem falsas artes edoctam quæ ex pedibus vitulinis coquebat trochiscos ingenti questu, convicta deinde & falsis condemnata. Quam fraudem ut tegant impostores, testimonia Patavinorum Medicorum vel mutato anno adulterant, vel prorsus falsa supponunt. Cum primum ante hos XXV. annos ex Italia in patriam redux Dispensationi Theriaces in officina Urbis tum primaria cum senioribus Medicis adessem, supposititium testimonium nobis

bis

bis cum Trochiscis Viperinis offerri deprehendi. Nam & annus immutatus fuerat alienâ manu, & nomina subscripta falsa. Jo. Dominicus Sala & Jo. Georg. Virfungus, qui subscripserant, ante duos tresve annos mortalitatem expleverant, quam confecti dicebantur Trochisci. Similia exempla in recenti memoria nobis obversantur, in quibus fraudem subesse negaverit nemo, non Pharmacopœo, sed Impostoribus imputandam. Quamquam verò Antidoti virtus, aliorum simplicium auxilio, exigua non sit, tamen sine legitimis Trochiscis Viperinis Theriaca non est vera Theriaca Andromachi, qui viperas primus addidit. Abusi sunt nomine Theriaces, qui Compositiones alias ita appellarunt quæ viperis caruerunt. Ista culpa tenetur Plinius l. 20. Nat. Hist. cap. 24. & post eum Plinius Medicus lib. 3. cap. 52. in Antiochi Antidoto, quæ in templo Æsculapii incisa fuit in lapide in Insula Coe, nisi ad angues respexerint seu serpentes, quorum venenatis moribus prodesse credebatur. Quicquid sit, decipi nunquam possemus, si ex patrio solo Viperas eligeremus, quas Euganeis similes non semel mihi ex dumetis nostris missas memini. Eas tamen pro Theriaca commendare hætenus

ausus non sum, ne apud vulgus vilesceret Antidoti
autoritas, licet superstitione ista neglecta Ger-
mani, teste Libavio, angues quoscunq; oblatos
substituant. Galli certè suos eligunt, & Romani
ex vicinis collibus, ut & Neapolitani, ex quibus
Florentini quoq; petunt. Sunt & apud nos ve-
nenati serpentes, quod malo suo quidam nuperis
annis in Officina Heerfurdiana expertus est,
quem vix Theriaca, Orvietanum & alia alexi-
pharmaca servare potuerunt. Quanquam Insu-
larum nonnullarum ea sit prærogativa terræ, ut
innoxias viperas, veneno omni exarmatas alat,
quo privilegio Melita gaudet jam à S. Pauli tem-
poribus, cujus benedictione etiamnum terra
omnis Melitensis alexipharmaca est, unde ad
oleum viperinum conficiendum vidi, cum ibi
commorarer, ex insulis vicinis Gauliacis advo-
cari viperas. Tamen cum nostrarum Insularum
vipera venenatum liquorem morfu prodant,
passu pari cum Euganeis ambulant. Quod si ve-
neni hic ratio nulla habenda, quia capita prius
amputantur, ubi liquor venenatus in vesiculis sub
dentibus occultatur, & revera liquorem illum ex
glandulis palati collectum, uti & ipsa capita ab-
scissa, sine ulla noxa devorari posse Viperarius
ille

ille Jacobus apud Franciscum Redum Florentiæ plenam fidem fecit, nullus de nostris scrupulus supererit. Vitali balsamo abundant angues nostri, qui nostro temperamento magis erunt familiares & amici, ut ad roborandum conservandumq; robur nostrum conferant. Hoc enim sine Magnates in senio scimus pullis usos, qui carne viperina vescebantur. Ad trochiscos nostros redituri, testamur & recentes fuisse, anno, qui hunc præcesit, Patavii confectos cum signaculo Caroli Borromæi ex viperis Euganeis, quæ inter meliores censentur, & legitimo testimonio Medicorum Patavinorum firmatos. Ne alii dubitent, ex autographo non gravabor huc transcribere ipsa instrumenti verba, quæ sequuntur:

Viri Magnates, & quibus Respublica Medica, & ejus splendor cara sunt, imprimis debent curare Theriacæ Compositionem, & prisca illius seculi ornamenta fovere & producere, in hujus & futuri sæculi usum. Inter cætera autem, quæ Theriacæ Compositionem ingrediuntur,

Viperini Pastilli primas sibi vendicant.
Hos vero, quos una parte ornat icon
sancti CAROLI, & nomen Hieronymi
Zanellæ Patavini Pharmacopolæ Inclytæ
ac Illustriss. Polonorum Nationis: per-
fectos, & ex Montibus Euganeis, Nos Me-
dici Patavini, qui eorum confectiōni asti-
timus, approbamus, & commendamus
Quapropter ut videant cuncti, & exci-
piant, libenter testamur & subscribimus.
Anno M. DC. LXVIII, Die XXV
Mensis Maji.

Hercules Saxonia Pat. Medic. Theor. Pro-
fessor. (L.S.)

Sertorius Ursatus Sereniss. annuent. Senat. D.
Marc. Eqves. Philos. & Medic. Prior Col-
legii. (L.S.)

Illarius Spinellus Simplicium Professor. (L.S.)

Dominicus de Marchettis Medic. & Chirurg.
Prof. Primarius.

Nos Joannes Capello, pro Ser. Duce
Do. Venetiarum Paduæ Prætor, fidem
facimus, & attestamus suprascriptos Exc.
D.D. Erculem Saxonia, Sertorium Ursa-
tum Equitem, Illarium Spinellum, &
Dominicum de Marchettis esse tales qua-
les se faciunt. In quorum fidem, &c.

Paduæ die 23. Octob. 1669.

Annibal Lugo Canc. Magn. Civit.

Iusto tempore mactatæ sunt viperæ, initio
nempe æstatis & vere finiente, quando violæ
florent & viridis fœniculi semina quærantur, ut
loquitur in carmine suo Andromachus. Recentes
trochiscos oleum, quo inuncti madent, testatur, &
fides autographi instrumenti, quanquam iudicio
Galenī l. 1. de Antid. c. 8. quarto etiam anno sint uti-
les, quamdiu scilicet perforati non sunt, sive quam-
diu substantia illorū non est mutata aut corrupta,
sicut explicat Petr. Castellus Discurs. Italico de
Duratione Medicam. p. 24. Verba ipsa Galenī ad
rem faciunt, digna quæ hic relegantur: *Longè*
est

est melius, inquit per interpretem Martianum Rotam, haud multo postquam pastillos confeceris ipsis uti: Quanquam non multum detrimenti capiunt, etiamsi peracto anno, atq; etiam multo post eis utaris. Rectè namq; à principio siccati, ad tertium quartumq; annum integri perseverant, dummodo tamen aptè reponantur, & subinde pulvisculus quidam qui ipsis obnasci consuevit, mundis mantilibus interdum abstergatur. Is namq; si diutius inhæreat, pastillos perforabit. Perspicuum est autem inutiles eos tum deniq; reddi, cum perforati fuerint, quemadmodum anteaquam hoc accidat, etiamsi multum temporis intercesserit, non inutiles esse.

Reliqua simplicia & recentia & probata invenimus, quæ omne punctum tulerint. Quæ ex peregrinis aliq; sole disito calentibus locis afferuntur, quanquam itineris longioris injuria non
nihil

nihil à nativa bonitate amiserint, talia se tamen visu, gustu, odoratu, pondere probaverunt, quæ Antidoti partem implerent haud postremam, qvalia maxima Pharmacopœi industrii cura optari poterant. At quæ ex patrio solo desumpta, veterum descriptioni consona, vices peregrinorum implent, prorsus expectationem omnium æquarunt. His nostris inquilinis rectius utimur, quando quidem patria tellus optimorum simplicium est ferax, temperamento nostro accommodatorum, quæ & recentia & minori pretio colliguntur, & sine mangonio exoticis substituantur. Hinc encomio majori dignam judicamus Theriacam, ex qua hic nobis sermo emerfit, quod patriæ herbas peregrinis prætulerit Pharmacopœus noster prudens & rerum quæ ad artem spectant satagens, quandocunq; ex hortis nostris, sylvis, pratis, agris, collibus littoribusq; haberi eæ potuerunt. Numerabit Lector magnam illarum supellectilem in Descriptione Antidoti, nostris medicamentis splendide superbientē, quod etiam clementissime placuit Augustissimo Regi nostro CHRISTIANO V. cum clementi oculo nuper reviseret elegantem hanc simplicium seriem Theriaces confectioni destinam,

C

natam, & de simplicibus ex Regno ejus Daniæ
 provenientibus fiscitaretur. Utinam, quod sæ-
 pius optavi, universa hæc Antidotus ex patriis
 domiq; nascentibus aliquando conficeretur, ad-
 mixtis iis quæ morbis nostris Endemiis conve-
 nientia lætè & largè in Septentrione proveniunt.
 Tentavi hoc vadum timido pede in *Medicina*
Danorum, feliciorum posthac successum sperans,
 nec desinam Medicos nostros & Pharmacopœos,
 quos amor patriæ trahit, ad has cogitationes
 ferio flectere. Do fidem paucissima desiderari
 quæ cum exoticis paria facere non queant. De
 quo argumento alia occasione plenius differam.
 Interea acquiescimus peregrinis, donec dome-
 stica adoleverint, usu roborata. In quibus fidem,
 industriam & peritiam Heerfurdii senis nusquam
 in hujus Antidoti Dispensatione desideravimus,
 qui in succedaneis quam parcissimus fuit, Medi-
 corum arbitrio & consilio singula subjiciens.
 Quid mutatum subinde sit communi Collegarum
 nostrorum consensu, breviter annotabo, ut ratio
 facti omnibus constet, de cæteris alibi acturus
 quæ aliàs pro ἀντισβαρρομείνους irreperunt.

In Classe Quarta scillam in trochiscos red-
 actam non vidimus, sed pyramidalis fulgentem
 figura.

figura, in apice auratum Maximi & Serenissimi Patriæ Patris CHRISTIANI QVINTI nomen, cujus fortunatis auspiciis hæc sacra peraguntur, præferentem. Scilicet auspicato fiunt, quæ tali augurio geruntur. Continere se non potuit Musa mea, etiam in censendis aromatis herbisq; occupatissima, quin Pyramidi inscriberet versiculos in æternam rei tantæ memoriam:

*Pyramidi inscriptum parvæ, Rex Ma-
xime, nomen*

*Æternum splendens, dira venena
fugat.*

*Morborum hic medicina latet, qua
scilla refulget,
Et certam tanto nomine spondet
opem.*

T. B. D.

EX squilla verò Hispanica & Rad.
Dictamni albi seu Fraxinellæ pulvere massa
ista compacta est, de qua dubitabatur an
pro trochiscis, qui cum ervi vel orobi, vel cice-
rum rubeorum farina ab aliis confici solent,
assumi conveniret. Et ne penuriam quis cau-
saretur, succus scillæ melle conditus in fidelia
præfens aderat, & recentes scillæ in officina &
succu plenæ prostabant ut penes nos esset eligen-
di arbitrium. De forma ipsa solliciti non fuimus,
sive orbiculari sive pyramidalis, quanquam ad
majestatem Antidoti pomposæ & Augustæ, Py-
ramis Regio nomine fulgens, propius accederet,
de succedaneo verò ervi, cujus farinam Andro-
machus, Galenus & alii pro juvanda squillæ ad-
versus venena virtute laudarunt, ancipites non
nihil hæsimus, præsertim cum ciceres rubei in
Dispensatorio Hafnienfi nobis olim placuerint.
Quia succi scyllitici recentis copia est, non du-
bitaremus hunc sine comite adsciscere; cæterum
succedaneum ervi addendum erat, in gratiam
antiquitatis, ut quæ non profunt singula, multa
juvent. Ervum suos patitur manes. Damnatur
à Panfa, quia farina ejus crassioris est substantiæ,
venas

venas obstruit, vimq; Theriacalem impedit, unde *καρφηβαεινός* dicitur orobus Dioscoridi lib. 2. c. 131. & ab hoc semine homines prorsus abstinere jubet Galenus l. 1. de Alim. Facult. c. 29. bovis proprio. At tamen si illius copia apud nos esset venalis, sicut olim Mantuæ vulgarem narrat Jacobus Ferrarius in Idea Theriacæ cap. 10. damnari non deberet, cum viperarum morsibus medeatur, & eo modo, quem tradit Dioscorides l. c. in farinam redactus Orobus, non tantum amarore suo, sicut censet Rondeletius, à putredine conservaret squillam, sed vi incidendi & venenis resistendi efficaciam Antidoti augeret, ut taceam Danielis Beckheri commentum cap. 2. de Theriac. §. 3. figi volatile quod in scylla est, Erui crasitie. Ciceres rubeos Dispensatorium Hafniense adoptavit, inter facile parabilia numerandos, quos cum Ervo in decoctione jungit Dioscorides l. 2. c. 126. Quod si Ervum siccitate non æquent, facile cum torrentur ad pollinem redigendi, majorem siccandi vim acqvirent. Sed quia imbecillior illorum contra venena censetur virtus, passi sumus Dictamni albi radicem in hac, quam præ manibus habemus, Dispensatione vicarias cum Ervo in scyllæ massa operas partiri.

Qvo consilio nonnullæ Germanorum officinæ eandem Fraxinellam advocant. Tantam quippe & succi dictamni & herbæ vim deprædicat Dioscorides l. 3. cap. 37. ut sævientes bestias ictu venenato, solo contactu perimat. Cum quo consentit Dodonæus. Ita quidem hætenus ex veterum traditione credidimus, quanquam propriâ experientia sæpius nuper Florentiæ depræhenderit Vir curiosissimus Franciscus Redus, quod non solum folia fraxini, betonicæ, fagi, quercus, conyzæ, dictamni, calamenthæ & aliarum gravi & foetido odore præditarum herbarum à Nicandro mentitarum non vitaverint viperæ, sed quod intra illas frondes tam siccas quam virides non solum libenter se contegant, sed & lubentissime ibi commorentur. Nos tamen, qui veterum vestigia in Compositione Theriaces premere cogimur, veterum quoque de herbarum virtutibus sequimur experientias tot seculis confirmatas, cum minima observationum circumstantia rem variare possit. Si foret ex patriæ sinu depromendum squillæ Hispanicæ succedaneum ad Theriacam Danicam, succum allii sativi commendaremus, quem illius defectu in Theria-

ces Regiomontanæ Compositione quoque laudavit Jo. Loeselius, amicus olim noster.

In eadem classe Quarta, semen Petroselini Alexandrinum pro Macedonico repositum fuit. Alexandrinum Macedonico gustu acrius, amarius, colore est candidum, longiusculum, parvum tamen & lanuginosum, quale ferè Macedonicum prædicant qui lanuginem abstergere jubent. Macedonicum verò, quod eo nomine in Officinis venditur, majus est, nigricans, crusta dura, simile granis Heliotropii, hæmisphæricum sed angulosum striisque quatuor distinctum, sapore acri aromatico. De odore judicare non possum quem laudat Dioscorides l. 3. c. 77. quia aridum ad nos deferitur, & crusta durior sensum obtundit. Hipposelinon alii vocant XIV. speciem Apii C. Bauhino in Phytopinace, cujus semina accurate describit Lobelius in Advers. p. 315. In oris nostris non provenit. Ante paucos annos cis & citra Alpes feri in hortis cœpit. Mangonio facile commutantur aliis similia, quanquam gustus discrimen faciat. Causa tamen hæc fuit quod Alexandrinum minus illud, Apio peregrino non nihil simile, si lanuginem excipias, libenter in usum nostrum traxerimus, haud nescii inter Bota-

Botanicos non fatis convenire, nec inter Seplafarios, an Macedonicum quod hodie prostat, cum veterum Macedonico conveniat, & quo referendum sit. An illud veteribus decantatum olusatrum sit, vel Alexandrum, de quo Jo. Bauhinus l. 27. Hist. Plantar. differit. Ex Macedonia forsan & hoc minus Apii semen Alexandriam allatum est. Quamquam non operosè de eo laborandum sit, quia, Galeno monente l. 1. de Antid. c. 14. si est reaticum Petroselinum quandoque desit, non inde pejorem existimabimus theriacam futuram si aliud imposueris. Nam in Petroselino Macedonico idem accidit, quod in attico melle & vino falerno contingit, mercatores siquidem in universa ferè orbis terrarum oppida ut mel atticum, vinum falernum, sic Petroselinum Macedonicum advehunt, cum tamen in Macedonia Petroselini tantum non oriatur, quantum populis omnibus satis esse queat. Utriusque defectum supplebit cuminum nostrum, sicut de succo decreverunt Florentini Receptar. part. 2. vel apii majoris semen, quod selere vocamus., hortis nostris & mensis frequens, sapore præditum acris & aromatico, figura simili sed rotundiore & sine lanugine.

Clasfis Quinta Calamum Aromaticum nostrum servat, Acori nempe radicem, quam piscinæ nostræ proferunt. Bonitate vero calamo nihil cedit, nec aromatica amaritudine, quanquā specie differat. Iridis enim habet folia, sive gladioli ut Bontio placuit in Med. Ind. Veterum calamus, canna erat, eaq; cava secundum Dioscoridem, Plinium aliosq;. Neq; illorum opinioni accedimus, qui eundem esse Acorum nostrum credunt, & calamum aromaticum veterum. Rationibus eos convincit Matthiolus in Diosc. quibus pondus inest, quicquid in contrarium conetur Ferrarius cap. 14. Noster nec in India nascitur, nec fulvus probatur, nec fistulam habet araneam, quibus notis à Dioscoride describitur. *Ἀράχνια* vocat idem lib. 1. cap. 17. quasi telis aranearum similis sit medulla. Plinius lib. 12. Hist. Nat. cap. 22. araneum illud, florem appellat, quem Claud. Salmasius in Solin. minus intellexisse Dioscoridis mentem existimat, quia circa exteriorē fistulæ faciem aranea illa involuta videtur agnoscere, cum membranulæ potius sint interiores *ἀραχνιοειδής*. Hoc quidem Viro summo mihiq; dum vixit, addictissimo, concesserim ex Dioscoridis mente, sed Plinium de exterioribus canæ

D

parti-

partibus locutum esse, conjicere neqveo. Majorem difficultatem movens Garcias ab Orto, l. 1. Arom. cap. 32. ex fragmentis calami aromatici edoctus negat quod in eo est spongiosum aliquod in re simile esse aranearum telis. Frustula ejusdem calami, quem pro vero aromatico officinae servant, diligenti oculo inspexi, inveni q; medullam, sed tenuissimis filamentis investitam, ut suspicari liceat recentem calamum similes membranas araneas medullæ spongiosæ prætendere, quæ explicata medulla disparent vel huiusmodi arctè conjunguntur ut discerni nequeant. Similia sunt fragmenta mea illis quæ Clusius à Paludano & Colino accepit in Not. ad Garciam. ex Syria & Ægypto advecta, qualia quoq; ex Ægypto secum asportavit Prosper Alpinus lib. 4. Med. Ægypt. veterum descriptioni conformia, quorum copia cum sit in Ægypto, in componenda Theriaca uti Ægyptios idem testatur. Quamquam verò Arabicus aliis, aliis Alexandrinus Calamus appelletur, omnis tamen ex Indiâ venit. Malè quoq; distinguunt alii ab odorato calamo cum idem sit. Odoratum vertit Plinius, quamquam vox *δρωμαλινός* aliud innuere videatur, ut rectè advertit Saracenus. Noster calamus aromaticus

maticus seu Acori radix, eadem cum polleat virtute ad urinam ciendam, & venena exstinguenda, eodem sapore aromatico acri & subamaro, in Theriaces Compositione adhibetur, si quidem hortis nostris cœloq; patrio assuevit, & musteus eruitur.

In Classe Nona succus Acaciæ Ægyptiacæ placuit quia recens erat, colore ex nigro subru-
bescens, atq; sapore adstringens. Atram lacri-
mam vocat Andromachus ex spina Nili. Talis
autem est color succi exsiccati, recentis enim
liquidi candidus est, ut animadvertit P. Castellus
in Hort. Farnesiano Aldini. Hinc dicitur Pare-
tonius liquor alibi, quem de candido explicat
Plinius l. 33. c. 5. & post eum Agricola l. 2. de Nat.
Fossil. Ferrantes Imperatus lib. 4. Mus. c. 11. Flo-
rentini in Receptorio substituunt succum lentisci.
At succum inspissatum prunorum nostrorum syl-
vestrium ad manus habuit Heerfordius, quem
pro appropriato succedaneo antehac in The-
riaces Dispensationibus Medici Hafnienses rece-
perunt, & Flor. sed quia veræ Acaciæ succus præ-
sens erat, nolimus ab antiquitate recedere.
Aliàs cum dubia ejus est fides, domesticus succus
præfertur, certus pro incerto.

In eadem Classe Chalcitidis vicem supplet Calcanthum seu Vitriolum ustum ad cineritium colorem. Aliàs in Dispensationibus aliis Hafnien- sibus vitriolum ad rubedinem ustum admiserunt Medici nostri. Cæterum cum propius color ille ad veterum, & Galeni descriptionem accedat, & proxime ad colorem Chalcitidis nativum, maluimus in illo subsistere. Andromachus in carmine assam Chalcitidem vocat, sed colorem non addit. Certum tamen est, quo vicinius est Chalcantum Chalcitidi, colore & tinctura nigra inducenda, cujus gratiâ Theriacam ingreditur, eo faciliorem censuram mereri. Hujus causa spiritum Vitrioli alii adjiciunt. Ad nativam Chalcitim succedit Chalcitis illa quæ ex Chalcantho commutata est, quam in Theriaca præfert Cane- parius Secund. Descript. Atram. cap. 14 quia tenuioris est substantiæ, virtutis & penetrationis. Dealbescit verò Chalcantum cum ex ætate in Chalcitim transit. Quam optimè referre existi- mavimus Vitriolum ustum non ad rubedinem, sed candorem. An fermentationem magis cal- cinatio ad rubedinem promoveat, judicent Chy- mici. Hic certè principe instituto Theriaces nigrorem spectamus, præeunte Galeno lib. 1. de Antid.

Antid. c. 15. In Theriaca sua Chymica Sal vitrioli ad rubedinem purificatione deductum reponit Petr. Jo. Faber l. 9. Myroth. Spag. c. 7. & parum interesse censet Zwelferus, quodnam ex istis assumatur.

In Trochiscis Hedychroi Balsamus Peruvianus niger, locum Opobalsami occupare iussus est, quia ejus copia sufficiens extat & omnia Indiæ Orientalis Balsama proximius ad Opobalsamum accedere creduntur, magnis virtutibus decantata, Orientale sæpius odoris suavitate & coloris similitudine mentientia, ut pro eo non raro à mercatoribus magno pretio vendantur. Tradit hoc loco operas mutuas Opobalsamo; aliis arte confectis balsamis, quæ alii operoso studio furrogant, præferendum, si quidem adulterio caret. Non soli nos nec primi hoc *ανλβαλλονένω* sumus usi. Intrepidè id pro Opobalsamo substituerunt ex Germanis & Gallis & Italis non pauci, in primis Florentini & Romani. Autoritates affert Michael Döringius de Opobals. Sect. 2. c. 4. qui & ipse profitetur, si sincerum Balsamum Peruvianum nancisci contingat, quod id pro oleo nucis Muscatæ ad Theriacam & Mithridatium rectius recipiatur. Præterquam enim quod oleum nucis

Moscatæ & gariophyllorum, quo ad vires vero Opobalsamo multò est inferius: accedit & illud, quod per id Opii vis Narcotica insigni gradu exaltetur, adeoque tota Antidotus sicut efficacior in hac facultate, ita quoad alias, quas adjectione Opobalsami possidere debebat, ignavior erit. Rationibus aliis validè idem astruit Olhasius. Balsami enim Indici substantia lenta est, viscida & satis crassa, instar Balsami Judaici, qualis in oleis Garyophyllorum, aut nucis moschatæ non deprehenditur. Præterea, sicut Balsamum Syriacum ex Galeno, Ætio, Oribasio, Averrhoë, è secundo calefacientium & siccantium est ordine: ita & Balsamum Indicum, Monardo autore. Adhæc Balsamum Ægyptiacum intermedium quendam inter Thus ac Terebinthi folium odorem satis gratum exhibet. Id Balsamo Indico verius quam oleis prænominatis competit. Sapor Balsamo amarus est, subacris & subastringens. Talis etiam Indico inest. Olea autem illa valdè acria sunt & urentia, amaroris & adstrictionis omnis expertia. Ita quidem Olhasio persuasum, amarorē tamen nux myristica sapore prodit, & adstrictionem in juvando ventriculo. Sed si alias vires Balsamorum Indici & Ægyptiaci
cum

cum his oleis conferamus, præsertim in vûneribus perspectas, causa hæc cadent, locumq; suum in Theriaca, qvem assignavimus cum dignitate tuebitur Balsamum, qvod ex divite suo penu Peru mittit ex arbore Punicâ Malo majore. Amplum Balsami hujus Peruviani nigri textit elogium Nicolaus Monardus in Hist. Simpl. Med. cap. 9. qvem audire placet: Licet nihil aliud nobis intulissent Indiæ (Occidentales) qvam hoc mirabile Balsamum, Hispanorum tamen labor in illis investigandis non inutilis existimandus est: etenim jam multis annis periit id Balsamum qvod in Ægypto nasci solebat, nec usqvam gentium amplius invenitur: idcirco nobis Deus Opt. Max. illius loco Balsamum novæ Hispaniæ dedit, qvod meo judicio inferius non est Ægyptiaco, si mirabiles ejus effectus & utilitates consideraremus. Qvibus virtutibus in medicina polleat pluribus verbis ibidem Monardus persequitur, ad qvem curiosum Lectorem amandamus. Qvæ verò liqvoris notæ sint legitimæ tradūt Florentini Medici in Receptario part. 1. qvod aquæ infusus fundum petat, & diutius tractatus acquirat colorem album, non se misceri patiatur æqvis partibus cum omni alio liqvore; & mistus terebinthinæ,

næ, aut simili alio gummi, cum quibus se nonnihil uniri patitur, perdat subito odorem nativum, quæquam gummata minoris ponderis sint, accidere enim ut sola drachma subtrahat odorem ex Uncia una vel altera balsami dicti. Sic licet Virtus balsami nigri Peruviani cum Ægyptiaco pari passu ambulet, signis tamen discrepat, quippe Ægyptiacum ex Dioscoride in aquis & lacte non mergitur, ut hoc subtiliorum illud crassiorum videatur esse partium. Aliis notis suum Balsamum nigrum pro vero nulloque adulterio vitiatum nobis commendavit Heerfordius, cum ad Theriacam admitteretur. Nec enim posse ullo alio oleo adulterari, quia misceri se non patitur cum oleis aut aliis pingvibus, nisi in frigida consistentia. Præsentibus in officina ad oculum nobis id monstravit. Manus volâ (in qua melius quam super ignem à calore nostro blando miscetur) agitatam nec oleo nec aquæ jungitur. Solum oleum Betulæ admittit, cum quo facile commiscetur, ut si Impostoribus placitum sit, adulterari ita possit; sed odore & gravi & foetido se prodit, quem non rarò in nigro Peruviano advertas. Cum saccharo quoque jungitur soluto, sed in aqua frigida Balsamum separatur. Idem super carbones eva-

evaporans, relinquit in fundo vasis crassamentum quoddam instar colophonix, nigrum tamen ex nigro Balsamo, rufum instar talci aurei ex albo Balsamo.

Cætera ad Theriaces Compositionem spectantia in præsentī expendere non vacat, cum ad aliam officinam avocemur. Nec pluribus opus est Dispensationem hanc, cui interfuimus, laudare, quando quidem se, etiam nobis tacentibus, plenissimè omnibus commendabit quamprimum finito fermentationis tempore publico cunctorum usui & necessitati prostabit.

E

Leſto-

Lustratis speciebus pro Theriaces Dispensatione, ad Confectionem Matthioli accessimus, quam ex præscripto ipsius Matthioli bona fide exhibuit Heerfordius. Est verò Prima Antidoti descriptio ab ipso Autore tradita Comm. in l. 6. Dioscoridis, in qua paucissima mutavimus, quia ab omnibus instructa est officina nostra. Loco junci odorati schoenanthum assumimus, & pro baccis smilacis asperæ deficientibus sambuci baccas adoptavimus. Consilii utriusq; rationes quivis facile divinabit, cui integer animus. Jam non vacat per plura me diffundere. Eadem opera Orvietani Electuarii Dispensationem aggressus est Heerfordius juxta sequentem formulam, non ita pridem in hac officina approbatam à Medicis Hafniensibus, diversæ enim aliæ descriptiones circumferuntur, nosque duas alias ex Italia nobiscum olim attulimus, quæ in Quadripartito Botanico nunquam satis laudando Magni nostri D. Simonis Pauli Classe secunda leguntur. Sequuntur utriusq; Antidot Matthioli & Orvietani formulæ:

ANTI

ANTIDOTI MATTHIOLI

DIMIDIA PARS.

R. Rhabarbari.
Rhapontici.
Rad. Phu.
Acori.
Cyperi.
Qvinque folii.
Tormentillæ.
Aristol. rot.
Poëniæ.
Helenii.
Costi.
Irid. Flor.
Chamæl. albi aa Drach. j. s.
Galangæ.
Imperat.
Dictamni Cret.
Angelicæ.
Millefolii.
Filipendulæ.
Zedoariæ.
Zingiber. aa Drachm. j.
Agarici Drachm. j. s.
Libanotidis maris

E 2**Gen-**

	Gentianæ.	
	Morf. Diaboli aa Drachm. j. g. xv.	
Sem.	Citri	
	Viticis	
	Cocci infectorii.	
	Fraxini.	
	Oxalidis.	
	Pastinac. Sylv.	
	Napi.	
	Nigell.	
	Poëoniæ.	
	Ocymi.	
	Irionis.	
	Thlaspios.	
	Foëniculi.	
	Ammeos aa Drachm. j.	
Bacc.	Lauri.	
	Juniperi.	
	Hederæ.	
	Sambuc.	
	Cubebæ. aa Drachm. f. gr. xv.	
Folior.	Scordii.	
	Chamedryos.	
	Chamæpith.	
	Centaur. min.	
	Stæchad. arab.	Nardi

Nardi Celticæ.

Calaminthæ.

Rutæ.

Mentæ.

Betonicæ.

Verbenæ.

Scabiosæ.

Cardui benedict.

Melisophylli.

Dictamn. Cretici.

Sampsuchi.

Hyperici

Scœnanth.

Marrubii.

Galegæ.

Folior. Sabinæ.

Pimpinell. aa Drachm. j.

Caricarum.

Nucum Juglandium.

Pistaciorum aa unc. j. f.

Myrobalanorum Emblic. Drachm. ij.

Flor. bugloss.

Borraginis.

Rosarum.

Lavend.

E 3

Salviæ

Salviæ.

Rorismarini aa Scrup. ij.

Croci Drach. i. f.

Cassia lignæ veræ Drach. v.

Cariophyll.

Nucis Mosch.

Macis aa Drachm. i. g. xv.

Piperis nigri.

longi

Santalor. omnium.

Agallochi aa Drachm. f. gr. xv.

Cornu Cervi Crudi Drachm. ij.

Unicornu Drachm. f.

Osis de Corde Cervi.

Ramentor. Eboris.

Virgæ Cervin.

Castorei aa Scrup. ij.

Terræ Lemniæ Drachm. j. f.

Opii Drachm. f. g. xv.

Margar. Orient.

Fragment. Smaragdi.

Hyacinth.

Corall. rubr. aa Drach. f. g. xv.

Camphoræ Drach. j.

Mastich.

Thuris

Stry-

Styracis.

Myrrhæ.

Gum. Arab.

Resinæ Thereb.

Sagapeni.

Opopanacis

Laserpitii aa Drach. j. g. xv.

Moschi.

Ambar. aa Drachm. f.

Specierum Cord. temper.

Diamarg. frig.

Diamosch. dulc.

Diambrae

De gemm. frig.

Trochisc. de Camphora.

Scilliticor. aa Drach. j. g. xv.

de Vipera unc. j.

Succ. Oxalidis

Sonchi.

Scordii.

Echii.

Buglossæ.

Melissophyll. aa unc. ix.

Hypocistidis Drachm. j.

Theriac. Elect.

Mithridat. optim. aa unc. iij.

Vini, Sach. f. Mell. q. f.

Elect.

Elect. Orvietani.

R. Rad. Gent. nost.

Bistort.

Aristol. long. & Rot.

Tormentill.

Carlinæ.

Anthor. Ver. an. unc. f.

Scorzoner. unc. vi. f.

Fol. Card. Bened.

Diptam. alb.

Sem. Ruthæ.

Bugloss. Sylvestr.

Citri excort.

Angelicæ an. unc. f.

Pulv. Omnia subtiliss. & cum Melle

Clarificat. lib. ij. unc. vij.

civ. p.

& Vin. Malvat. lib. j.

Misc. f. a. fiat. Elect.

In fine adde

Theriac. Andromach. unc. v. Drach. i.

Signet. ut Supra.

TH. BARTHOLINI
Decani, Regii Archiatri & Prof.
Honorar.

DISSERTATIO SECUNDA
DE

THERIACA

In Officina

JOH. GOTHOFREDI BECKER

Pharmacop. Reg. Aulic.

1. Febr. 1671. dispensata.



HAFNIÆ,

Literis MATTHIÆ GODICCHENII,
sumptibus PETRI HAUBOLDI, Reg. Acad. Bibl.

THE BARBOLINI
Decani, Regi Archiducum & Prof.
Honoris
DISERTATIO SECUNDA
DE
THERIACA
A
JOH. GOTTFRIED BECKER

Pharmacop. Reg. Aulic.
Kiel. 1. Febr. 1671. dispensata.



HATINAE
Litteris MATTHIAE GODICHERNI,
apud PETRI HARBOLDI, Reg. Acad. Bibl.



THERIACA ANDROMACHI SENIORIS IN DUODECUPLO.

R. **R**ochisc. Squillitic, libras sex.
de Viper. ver.



Piperis long.

Opii Thebaic. depurat.

Machmatis Hedichroi ana libras tres.

Rosarum rubr. exsiccat.

Iridis Flor.

Succi Glycyrrhizæ,

Sem. Buniadis dulcis,

Comarum scordii nostr.

Ol. nucis moschat. expressi,

Cinamomi electi,

Agarici troch. ana uncias octodecim,

Myrrhæ,

Costi odorat.

Croci optim.

Cassia lign. ver.

Nard. Indicæ,
Schoenanthi,
Thuris mascul. in granis,
Piperis nigri,
Piperis albi,
Folior. Diptam. Cretic.
Comar. Marrubii nostr.
Rhabarbari elect.
Stœchad. Arabicæ,
Seminis Petroselini Alex.
Calaminth. mont. odorat.
Terebinthinæ Cypr.
Zinziberis alb.
Cort. Rad. Pentaph. nostr. ana. unicas novem
Polii cretici,
Chamæpithyos,
Styracis calam. depurat.
Angelicæ nostr.
Amomi.
Acori nostr.
Nardi Celticæ,
Terræ Lemn. veræ,
Valerian. nostr.
Chamædrios,
Folii macis & charyophyll. ana p. æq.

Chalcitidis tost. ad alb.
Rad. Gentianæ nostr.
Anisi torrefacti,
Succi Hypocistidis,
Cubebarum.,
Gummi Arabici splendidi,
Sem. fœniculi nostrat.
Cardamom. minor.
Seminis feseleos,
Succi Acaciæ,
Thlaspios Cret.
Comarum hyperici nostr.
Ammeos,
Sagapeni in granis ana uncias sex,
Castorei nostr.
Aristolochiæ long. veræ
Sem. Dauci cretic.
Bitum. Judaici,
Opopanax. depurat.
Flor. centaur. minor. nostr.
Galbani depurat. ana uncias tres,
Mellis despumat. triplum id est lib. 173.
unc. tres.

TROCH. HEDICHROI IN QVADRUPLO.

R. Mari veri,
Asari nostr.
Amaraci nostr.
Aspalathi ana unc. j.
Schoënanthi,
Acori nostr.
Valerian. nostr.
Lign. Aloes.
Bals. Indic. nigr.
Cinamomi,
Costi, ana unciam unam semis.
Myrrhæ,
Mac. & Chariop. ana unc. j. f.
Nard. Indicæ,
Crocī,
Cass. lign. ana uncias tres,
Amomi uncias sex.
Masticis unciam semis.
Vini malvatici quantum satis.
Fiant Trochisc.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO SECUNDA
DE
THERIACA

In Officina Beckeriana nuper
dispensata.

Sic laborem labor excipit.
Vix Theriacam Heerfordianam lustrando absolvimus, quin statim ad Beckerianam vocaremur, ut officii ratione utriusq; Antidoti Theriaces nempe Andromachi, & Mithridatii Damocratis dispensationi velut testes & Censores essemus præsentes. Non poenituit nos opellæ, sed læti alacresq; ad ea nos accinximus, unde mortalium salus, quæ Medico curæ esse debet, dependet. Nam ut vittæ capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacerdotii vacare muneribus, & Medici, prospicere ægrorum commodis. In sinu gaudeamus, & publico gratulamur, quod cum humidæ hyemis & inconstantis condicio vere primo vel secutura æstate morborum variorum à defluxionibus

nibus & putredine insequente insurgentium agmina minetur, provideatur in tempore futuris malis, hujusmodi Antidotis quæ catarrhos siccare, humores frigidos excalefacere, putredini resistere ac quancunq; malignitatem tam sudore quam mixta ex tot tantisq; remediis facultate queant expugnare. Non desunt partibus suis illi qui & idoneas species pro Compositionibus conquirant precio & prece, & manu docta misceant. Inter quos numeramus Johannem Gothofredum Becker, Pharmacopœum fide pariter & peritiâ spectatum, in Chemia non tralaticio studio versatum, qui non ita pridem ex singulari indulgentia Augustissimi Regis Divi FRIDERICI TER TII, officinam quartam, sed paucis secundam, in Urbe Regia instruxit sub signo Elephantis, animalium spectatissimi. Huc ex condictione Collegis meis suspiciendis nudius tertius adveniens, Mithridatii & Theriaces Compositioni destinatas herbas & aromata, strata mensæ splendide imposita, more majorum, debita cura examinaturus, rectè se omnia & convenienter habere perspexi, nec quicquam desiderari ad Dispensationem pomposam, veterum præscripto conformem. Quod mecum facti sunt Medici

Cele-

Celeberrimi, in simplicium examine versatissimi, qui Facultati nostræ nomen, sed famam æternitati consecrarunt. In succedaneis verò ea servavimus communi consensu, quæ nuperrimè in Dispensatione Heerfordianæ Theriaces admissa fuerunt & approbata, ne vel tantillum alterutius precio decederet. Quod unum hætenus in votis fuit, ut ex patrio sinu depromerentur ea quæ vel partem primariam Antidoti vel vicariam constituunt, sensim me assecuturum spero. In quam curam sedulò incumbam. Fatigabo curiosorum animos, superabo voluntates, tentabo omnium amores qui patriam amant, qui naturam venerantur, qui mortalium salutem privatæ præferunt, qui Regi suo obsequium debent. Jacta per me est alea. Collusores inveniam. In amico colloquio inter Theriaces lustrationem cum Collegis de necessario & præclaro, nisi me fallit opinio, proposito egi, & in patriæ laudem, artisq; Medicæ augmentum, Theriacam Danicam ex inquilinis medicamentis confici posse per partes me ostensurum promisi. Clasicum cecini aliàs non semel. Eadem tubâ resonabit dissertatio hæc post primam secunda, & sono aucto reliquæ, quæ forsan sequentur Dissertationes

B

hujus

huius argumenti, perstreperet, ut orbi innotescat, quantum velim, & patriæ, quantum posfit. De scilliticis & viperinis trochiscis, calamo aromatico, semine Petroselini Macedonici, Acaciæ succo, Chalcitide, & Balsamo paucis lineis actum nuper. Pertexemus telam. Cæterum quia de Opobalsamo ejusq; succedaneo inquilino restant non pauca quæ ad eandem lineam spectant, expedienda illa prius hac Dissertatione erunt quam pedem promoveam. Occasionem verò dedit Beckerus noster. Ad Opobalsamum enim cum nos in simplicium examine, quæ ad Theriacam referuntur, perduceret ordo, veri Opobalsami particulam nobis obtulit, thesauri loco æstimandam, si omnes Opobalsami veri notas sustineret, quas veterum recentiorumq; experientia suggestit. In nuce Indica preciosus ille liquor Unciarum novem allatus fuerat, jamq; maxima ejus portio Regi Divo cesserat, ut, quæ adhuc supersunt Unciæ quatuor, Dispensationi in duodecuplo non sufficiant. Contenti nos Balsamo Peruviano, ut Opobalsamum suum, quod eo titulo acceperat, ad minorem aliquam Compositionem reservaret, bono animo suavimus. Memoriam meam adhuc obversatur lis inter Pharmacopœos Romanos

nos oborta, cum Romæ degerem. Manfredus quidam Theriacam suam ex vero Opobalsamo, quod magno pretio per mercatorem Venetum sibi comparaverat, confectam pro præstantissimo medicamento vendere non dubitavit. Invidio oculo lucrum hoc seu gloriolam hanc aspicientes alii Pharmacopolæ, quorum Theriaca vilior reputabatur, cœperunt in dubium vocare Opobalsami Manfrediani fidem & innocentiam, & ad sui patrocinium concitare Medicos nonnullos, qui scripto publico recentem Manfredi Theriacam & Opobalsami veritatem damnarunt. Hinc majorum autoritate res controversa ad præcipuos Italiæ Medicos & Simplicistas, ut vocant, devoluta, Baldum & Perlam Romæ, Veslingium Patavii, Nardum Florentiæ, Campios Lucæ, Donzellum Neapoli, Castellum Messanæ, aliosq; diligentius examinata liquoris particula, quæ singulis mittebatur, in favorem Manfredi cecidit, sicut curiosæ pariter & varia eruditione refertæ de Opobalsamo Romano Dissertationes laudatorum Medicorum fusiùs edocent, quas in compendium redactas Vir Clarissimus Volckamerus publico legendas exhibuit. Ut hanc invidiam declinaret Beckerus, autor fui, ut in alios usus Balsamum

suum servaret, donec experimentis factis certior esset, adulterio carere, difficilia verò esse experimenta, quia de sensu veterum litigant recentiores; magna quoque affinitate Balsama Occidentalis Indiae, aliaque artificio confecta, & alia adulterata rem hanc similitudine involvunt. Variæ insuper Opobalsami ætates nos sæpe suspensos reddunt, ut taceam magnam esse pretiosi istius liquoris penuriam, quia arbores Balsami ex quarum ramulis liquor vel sua sponte vel incisione profluit, nullæ in Judæa reperiuntur, rariores in Ægypto esse cœperunt hortis devastatis, & quamquam in Arabia quoque crescant, succus tamen exstillans vel inde decoctus, sicut testatur P. Alpinus, à Seripho Principe excipitur, qui singulis annis Turcarum Imperatori donat tres Opobalsami quatuorve libras, præfecto Cayrino libram, Peregrinorum sepulchrum Mahometis visitantium Duci selibram, & aliis duobus Præfectis particulam. Unde perexiguum ad nos deferri potest. Nec enim in Europæ hortis frutex balsami feliciter perennat, quem semel Venetiis domi suæ florentem habuit idem Alpinus, ex cujus stipite, ubi alia quæpiam foliorum ab eo abscindebantur, verum Opobalsamum stillasse multi spectant.

spectarunt, & postea in aliis hortis Italiæ, temporibus nostris, sed raro artificio, visi sunt flores, unde tamen ad Medicos usus nihil redundavit. Ætatum discrimen accuratè in experiendo observandum, ne in judicando decipiamur. In prima infantia odor est acutissimus, ut & dolorem capitis & narium hæmorrhagiam induxerit, color albus, quem semper servat si aquæ vel lacti immergatur. Tenaci lacti similem vocat Strabo l. 16. succum ex cortice arboris in vasis susceptum, deinde in conchis coagulatum. Sapor illi, amarisculus, adstringens, substantia tenuis, in aqua fluitans. Sequentibus verò ætatibus, præsertim in senio, recedit longius à prædictis notis bonitatis, quod diligenter observandum, ne ætati fiat injuria. In propecta quippe ætate color obscurior, odor vix discernitur, substantia segnior & crassior, ut ex aqua difficulter vel tardè eniti queat. Ex quacunque ætate sit, quia recentissimum Opobalsamum adesse non potest, libenter amplectimur, nisi ultimum senium obrepserit. Antequam ad experimenta nos accingamus, vera signa veri Opobalsami, quæ ex veterum præscripto Theriaca postulat, priusquam senium attigerit, ex Dioscoride breviter haurienda lib. 1. cap. 18. Primum

est, ut sit validi odoris. *ἔυτνος* non tantum firmum & robustum significat odorem, sed & suavem. *Πολλὸν ὁσμὴν* ait Theophrastus l. 9. Hist. Plant. c. 6. subito spacium per longum permeantem. Suavitatem odoris veterum alii deprædicant. Solinus Polyhist. cap. 38. è plaga eximix suavitatis gutta manat, quod ex Plinio l. 12. cap. 25. desumfit, qui tamen ætates confundens, odoratam lacrymam fieri in fricando ait, quæ probatio senectutis est, quando arida. Negare quidam non erubuit, Opobalsamum nullo suavi odore commendari, vel tantum antiquis benè odoratum fuisse, quos ex recentioribus refellit Petrus Servius l. de Odoribus. Magnus Veslingius, amicus noster, in Ægypto odoris suavitatem gratam deprædicabat. Secundò sincerum laudat Dioscorides, nullis permixtum heterogeneis, quæ nativam simplicitatem & tenuitatem corrumpant. Mox subacidum damnat, vetustatis sine dubio argumentum. Dilui autem facile admittit, seu *ἔυδιετον*, quod facile penetret ob partium tenuitatem qua ex Galeno pollet, sicut cum Marcello exponit Saracenus. Tenuem igitur succum vocat Plinius, alii pelucidum. Sit quoque lævis, superficie æquali nec divulsa, quo sensu *ἀνίσταται* urinæ *λείη* appellatur Hippocra-

pocrati in Prognosticis, vel simplici, ad differentiam illorum quæ variegata sunt, sicut Suidas in voce *λῆα* ex Thucydide interpretatur. Astringentem deniq; & linguam modicè mordentem desiderat Dioscorides, aromatici saporis documento. Ut autem sincerum probet nullo alienæ rei commercio vitiatum, experimenta proponit, in aqua, in lacte & in panno tentanda. Laneæ vesti instillatus, si deinde eluatur, neq; maculam facit, neq; notam ullam relinquit. Pannum autem coccineum densius eligendum monet Joh. Pona part. 2. Comm. de Balsamo, & suspendendum. Relinquit quidem ob viscositatem maculam, advertente P. Alpino, sed quæ paulatim deleatur. Rursumq; purus lacti instillatus idipsum coagulat. Non ab aciditate, quæ balsamo nativa non est, sed potius ab acrimonia quadam & adstringendi facultate. Unde non tam coagulare lac sicut latinus Dioscoridis Interpres indicat, quam densare, id quod Dioscoridi significat *πύγνυσι*, animadvertit Clarissimus Rhodius noster ad Comp. 33. Scribonii. At Plinius inter summas probationes ponit, lac coagulare, quod in suo Opobalsamo quoq; successisse scribit Pona. Certè coagulari non potest lac, nisi densetur.

Præ-

Præterea sincerus ex Dioscoride lacti aut aquæ infusus celeriter diffunditur atq; lactescit. Diffunditur per liquorum superficiem, quod permixtionem vocat Abensina, qui easdem notas repetit l. 2. Canon. tract. 2. cap. 84. ita tamen ut totus exinde extrahi possit. Vitiati signum est, si in fundo subsidat, vel ætatis senilis, subtilioribus particulis emortuis. Vel igitur falsus est Plinius, qui lib. 12. cap. 25. densari guttam ad ima vasis desidentem contra Dioscoridis auctoritatem & peritiorum experientiam scripsit, vel ab amanuensibus corruptus. Addita bis negativa, locum ita emendat Pona; *non sinceri densatur in tepida aqua gutta sidens ad ima vasis, non adulterata olei modo innatat.* Si vulgata lectio servanda, Plinio annosiore succum Balsami ad manus fuisse suspicio est, qui vel subsidens lentè assurgit, vel prorsus in fundo remanet. Vetustate enim crassescit. Sincerus ob partium tenuitatem se per liquores expandit sine circulo in se contracto aut more stellarum radiato, propter tenacitatem tamen ita unito, ut facile stilo eximatur. Hisce notis brevissimè explicatis alias recentiores addunt, minoris tamen & fidei
& mo.

& momenti. Joannes Ruellius lib. i. de Nat. Stirp. cap. 35. subjungit, quod & ferrum Balsamo illitum accendatur, & immerfum Balsamum aquæ fidat: quas notas si conjungas, pro legitimo Balsamo judicari, disjunctas enim fallere, cum & caphurelæum admotum igni conflagret, & alia olea in aquis pessum eant. Nolo me in istis dubiis & communibus fatigare. Certum tamen est, omnium signorum concursum à falso vel vitiatum verum Balsamum discernere. Quid huic Balsamo subfit, quod pro vero Opobalsamo Beckerus accepit & pretio non levi coëmit, per experimenta, quæ in officina ejus fecimus, erit manifestum. Odor gratus illi, non validus. In aqua calida per guttas immissum, petit fundum, ibiq; velut clavo affixum manet, aliquæ tamen particulæ supernatant, olei instar. Sapor est amariuscule, cario-phyllis persimilis, color inter flavum candidumq; medius, substantia lævis. In lacte mergitur, sed singulis guttis in fundo residentibus, totidem guttæ supernatantes respondent, flavæ, pellucidæ, nonnihil dilatatæ, sine lactis coagulatione. In petia lanea coccinea adhæret, & lentè eximitur, macula relicta. Adhærere quidem potest sine dispendio famæ, sed iterum elui monet Alpinus,

præsertim si ex observatione nova Ponæ Veronensis, aquæ calidæ subito immergatur, ut gutta in superficiem aquæ stillans pannum liberet. His experimentis edoctus suspicor diversarum esse partium, ex vero Opobalsamo, vel Balsamo Indico albo, aliisve compositum. Subtilior quippe particula supernatat, terrestrior subsidet. Purius tamen est nigro Indico Peruviano, impurius albo, non inutili sumptu in Theriaca misceretur, si majori copia prostacket. Nos quidem experimenta varia de Opobalsamo tentamus, at iudicium cuiusvis ex multa inspectione collectum desiderat Galenus lib. 1. de Antid. cap. 13. ut exactè quæcunq; secerni possunt, distinguantur. Quædam enim vel nullatenus vel non exactè ab adulterinis secernuntur, usq; adeò falsa vera sunt utrorumq; confusa indicia. Unde ipse Galenus Ægyptum petiit, ut ipsum Balsamum ex arbore resudans aspiceret, & ex eo particulam, tanquam regulam, cæteris agnoscendis apud se semper habuit. Alpini & Veslingii eadem itineris in Ægyptum suscepti inter alias ratio fuit, quorum iccirco censuræ reliquis præferuntur. Nisi fata proposito meo intervenissent, navi Anglicâ quam conduxeram, lue pestiferâ

fera infectâ, ex Melitâ insulâ Ægyptum navigasse. Varias quidem particulas Opobalsami habuimus, quæ pro veris veniebant, sed rarò vel similes eosdemve effectus edidere, vel notis omnibus accuratè responderunt, ut valdè dubitem sincerum unquam ad officinas nostras pervenire. Vix enim Magnatibus sufficiens quantitas mittitur, vix Turcarum invidia tantum concedit, qui ipsi tanto thesauro inhiant, suoq; Monarchæ destinant. Quantum hodie in Arabia colligatur supra cum Alpino diximus. Liberalitatis Turcicæ singulari documento Busbecq; legatione præclarè defunctus, à Bassa Haly donatus est vasculo vitreo pleno Balsamo, Epistol. 4. sine dubio non adeò magno, quod donum, quia pecunia comparari non posset, rarum Bassa existimavit, quo Dominus ejus nullum majus amico aut confederato Principi donare valeret. Si pecunia nulla emi potest, cur nos spe vana lætamur? Arbores in Palæstina perierunt. Ægyptiaci horti parum subministrant, & quicquid vel Ægyptus vel Arabia fundit, Basis cedit. Nec olim uberior proventus fuit si memoriam ad priora secula revocemus, ut mirum non sit quod de mangonio conquerantur Dioscorides, Galenus, Plinius. Vix

toto die concham ætate Alexandri è duobus Palæstinæ hortis colligi solitam Theophrastus auctor est. Plinius senos congios, Dioscorides septenos annotat, qui septem conchi conficiunt sexaginta tria pondo Balsami, quod unum esse τὸν ἀδονάτων censet Cl. Salmasius. Quomodo vero deinde creverit copia ex largiore vena singularum arborum ter omnibus æstatibus percussarum, ut loquitur Plinus, eleganter explicat laudatus Salmasius Polyhist. scilicet ante victoriam Romanorum in Judæa, arborum Balsamo sudantium duo tantum erant horti, iiq; Regii & paucorum jugerum. Sub Romanis spatium ampliatur, & arbores propagatæ. Nec propagatione tantum numerosiores, sed etiam cultura & cura proceriores singulæ factæ. Hinc duplici modo uberius Balsamum à Romanis colligi cœptum, quam antea, ex numero arborum quæ plures erant, & ex proceritate singularum, quia longior vena, h. e. ramus qui percuteretur, eoq; sæpius percuti poterat. Traxit hinc originem luxus Romanorum, ut Balsamus per theatri gradus dispersus, in lucernis etiam adhiberetur tempore Heliogabali Lampridio teste, & semina in hortis eo rigarentur, apud Palladium lib. 4. R. R. tit. 9.

Tan.

Tandem tamen Romanorum imperio collapsò
studium arboris Balsamicæ & cultura exolevit,
defecitq; succus odoratus, ut rarus fuerit dein-
ceps gentium Dominis, rarissimus in Theriaces
confectione. Quamquam particulas hinc inde
curiosi circumferant, ad vastam tamen illam Di-
spensationem, quæ Opobalsami Unciam unam
cum media in simplo, Uncias decem & octo in
duodecuplo requirit, si illam partem excipias
quam poscunt Trochisci Hedychroi, non suffi-
ciunt pro tot officinis in Dania, multo minus pro
reliquis in Europa. Hinc annalibus decantatur
ea felicitas quasi occupati à Colchis aurei velle-
ris, si Opobalsamum Theriacam ingrediatur,
quod rarissimè eveniat. Nostro & superiori se-
culo rari numerantur, qui de his gloriari possunt,
inter quos fuere Ferrantes Imperatus Neapoli,
Bernardinus Cicala Brixia, Antonius Berthiolus
Mantua, Jo. Pona & Calceolarius Verona, Campi
Lucenses. Nuper quoq; Antonius Manfredus
& Vincentius Panutius Anno seculi currentis qua-
dragesimo idem tentantes, tantas turbas Romæ
concitarunt, ut ad eas sedandas omnes Rei Her-
bariæ periti in Italia fuerint convocati. Nova
enim res & ferè incredibilis videbatur tantum

Opobalsami superesse in Europa, quod Dispensationi non adeo operosæ, inserviret. Defectum igitur Opobalsami veri aliis modis supplere cœperunt seplasiarii honesti, aliis Impostores. Hi tegere mangonio inopiam, & factitia olea vel Balsama viliora pro legitimo vendere, isti pro vero aperta fide idonea substituere. Illi necessitate, hi lucro illecti, cum manifesta sit Theophrasti confessio lib. 9. Hist. Plant. cap. 6. sincerum ad se nullum advehi, sed quod mistum colligitur, pluribus enim mistionibus vitari, quodq; in Græcia venditur, sæpe adulterari. Quid nobis sperandum, qui Syriæ vicini non sumus? Quid de nostris seculis dicendum? Quomodo vitietur, ut etiam peritissimos quosque fallat, silentio involvere maluit Galenus l. 1. de Antid. c. 13. quam propalare, ne improbi fraudes discant. Non tacuit tamen Dioscorides, non Plinius, non Abensina: Adulterari enim cum oleo de pino, de mastiche, & cera dissolutis in oleo de Ligustro. Vitari etiam oleo rosæ, cyperi, lentisci, balani, terebinthi, myrti, resina, galbano, cera cypria, nequissimè autem gummi. Cum hæc chartis committerem incidi in Itinerarium inter Musæi rejectamenta disiectum, Bernhardi Breytenbach

Decani Moguntini, qui ex itinere Hierosolymitano 1483. cum Comitibus suis redux, Germanica lingua posteritati consignavit ea quæ in peregrinatione religiosa observaverat. Inter alia ad hortum balsami prope Alcairum Ægypti perveniens narrat vidisse se ex fracto ramusculo exstillantem guttulam pellucidam pingvemq; olei instar, quæ ambiens aër statim suavissimo odore perfundebatur. Eandem volæ manus inunctam imbibitamq; ad exteriora manus penetrasse ut & visu & odore sentiretur. Quæ suavitate odoris etiam folia prædita esse, si fricentur manibus. Ter mense Decembri cortices Balsami incidi, appensis lagenulis quæ stillantes guttulas ex vulnere excipiant. Quicquid verò primum vulnus fuderit, Sultano soli reservari, ut sine capitis vitæq; periculo nemo ausit vel tantillum inde suffurari. Ex quo liqore potentissimis Regibus vicinis particulam mittere Sultanum, nempe magno Chamo, & Presbytero Johanni, Sancafano Domino Tartarorum, & Turcarum Imperatori. Sed quod ex secundo tertioq; vulnere colligitur, vilius priori, vendi in urbe Cayro, rarò purum & sincerum, sed vitiatum cum oleo vel aqua rosarum, &c. Id quod ex Breitenbachii relatione fida & oculari testi-

testimonio repetere placuit, quia paucis lecta illius peregrinationis historia certos nos reddit vel verum Opobalsamum ad nos, à Sultano remotiores, nullum deferri, vel adulteratum esse si forsan ex vilissimo liqvore aliquid nobis concedat Ægyptiorum mercatorum avaritia. Igitur seplarij honestati & veritati litantes cum vel nullum vel perpaucum offeratur ex oriente quod vitio & adulterio careat, similia alia Balsama & Olea, Medicorum consilio, substituerunt. Oleum nucis moschatae plerisque hactenus placuit, & oleum Cariophyllorum, de quibus Oddus disputat eruditè. Quid in istis desideretur, & quantum ab Opobalsamo recedant, in Prima Dissertatione monuimus. Patrum nostrorum memoria, cum America mercatoribus pateret, Balsamus ex Peru afferri coepit niger, & alius albus, Orientali non absimilis. Illum nonnulli Medici Opobalsami vicarium substituerunt in Theriaca. Nec nos dubitavimus in Dispensatione utraque Heerfordiana & Beckeriana nuperrima, Peruvianum Balsamum in Trochiscis Hedycroi surrogare, propter rationes in dissertatione Prima productas. Quæ ut majus pondus haberent, fecimus apud Beckerum experimenta. Utrumque
nigrum

nigrum pariter & album diversum inter se experti sumus. Nigrum quod ex arbore Peruviana novæ Hispaniæ incisa effluit, odore gravius, in lacte tepido fundum statim petit, ubi nigra gutta conglobata permanens, enatare nescit. In aqua calida eodem modo se gerit, & in lanea veste rubra maculam relinquit. Ferro inunctum flammam non concipit, ut crassiorum esse partium videatur. Album verò omnibus ferè notis verum Opobalsamum exprimit, sive illud ex incisa eadem arbore profluat, ut aliis visum fuit, sive sit Tolutanum, de quo Nic. Monardus in Hist. Simpl. cap. 10. sive denique ex arbore Metaibæ destillet, quam describit Wilhelm. Piso lib. 4. Hist. Nat. Bras. cap. 8. & Marcgravius lib. 3. cap. 5. pellucida quippe ejus resina, nunc albicans si recens sit, nunc flavens si provectior, succino similis colore quidem, non duritie, prunis imposita suavissimum suffitum præbens. Odore istud Balsamum, quod habemus, nigro Peruviano gravius, non ita nares potenti sensu ferit. Guttæ hujus in aqua calente se amplissimè diffundunt in superficie, ad fundum non merguntur, refrigeratæ per spatulam nullo negotio junctis particulis glutinosis extrahuntur. In lacte tepido

D

eadem

eadem ratione se dilatant, lacq; coagulant, & separatae inde eximuntur. Gummata quidem alia lac quoq; coagulant, sed reliquas notas sustinere non possunt. Ferro inunctus albus Balsami succus claram flammam citò concipit sicut oleum terebinthinæ. In panno coccineo statim imbibitur, sed facile eraditur. Præstantior igitur est succus albus nigro Peruviano, quod notis respondet vero Opobalsamo, adeò ut copia hujus nobis esset, libentius pro vero Opobalsamo in Theriaca supponeremus. Intermedium esse inter nigrum Peruvianum & album quancquam de pretio & odore non loquar, hoc indicio scimus. Peruvianum nigrum cum oleo nucistæ & cera liquefit prunis in cochleari inpositum, sed in fundo in granula resolvitur rigriscentia. Ita & Opobalsamum hoc, quod examinamus, sed parcius. Hinc Pharmaceutica cautio oritur utilissima, conjungi hos Balsamum liquores in ceratis quidem posse quamdiu medicamenti forma frigida est, neutiquam si liquetur. Subsident enim & socia medicamenta destrituunt.

Cæterum si vel nullius Balsami exotici copia nobis foret, vel de mangonio suspicio nasceretur

pro Theriaca Danica conficienda sperarem in patrio solo aptum succedaneum posse inveniri. Tam benignus est Deus noster, ut nostris necessitatibus munera sua nunquam deneget, etiam domi nascentia. Non me sollicitum tenebit oleum nucis moschatae & cariophyllorum, quæ plerumque in locum Opobalsami succedunt. Nec de laurino oleo laborandum censeo, aut ex feminibus citri confecto, nec myrrham propugnabo, quæ omnia Rondeletius ex Theriaca sua exesse iussit, nec denique staten advocabo, seu myrrham liquidam, quam reliquis proscriptis anteposit idem Rondeletius: quippe peregrina illa sunt omnia, nec vota nostra implent si vel cupido emergat Theriacam ex solis inquilinis simplicibus conficere, vel intercepto cum Oriente commercio aromata nulla ad nos possint deportari. Oleum ex granis Juniperi ad manus est, quod Johannes Placotomus pro succedaneo approbavit. Lucas Chynus oleum ex semine Hyperici elegit. Pini piceaeque lignorum resina, ad lethalia medicamenta & serpentium morsus commendatur Dioscoridi lib. i. cap. 94. Nisi navis nostris & aurigis pix familiarior esset, de insigni virtute medicaminis nullus ambigerem, vel eo

nomine æstimandi, quod Justinus Trogi Epitomator l. 36. testetur arbores Opobalsami formam similem piceis arboribus habere, nisi quod sunt humiles magis & in vinearum morem excultantur. Abietis nostratis abiegna magno in pretio est, ut ex larigna adulteretur à mercatoribus lucrigratia. Eam tamen à larigna discernere docet Matthiolus, quod abietis lacryma substantius minus consistat, odore præstantissimo fragret, & gustui amarior sit quam larigna: magis excalfacit & eadem præstat valentius, ad annum asservata flavescit quadantenus. Insigne vulnerebus Balsamum est, & ægrè spirantibus & urinavitiiis commodum, in antidotis Balsami vice ingrediens, quibus notis à Dioscoride Opobalsamum describitur. Sed præstantius succedaneum est oleum succini, quod iccirco Opobalsamum Europæum vocat Crollius. Michael Döringius Sect. 3. De Opobals. totus in eo est, ut evincat Syllogismo oleum succini rectificatissimum Opobalsami locum jure ac accommodè sustinere posse. Multi anni effluxerunt cum Syllogismum in scholis non audiverim. Gratum erit post tot annorum ferias Conclusiones Philosophicas proponenti auribus favere & lingvis, vel eo potissimum

simum nomine quia opportuna proposito nostro loquitur. Ita verò ille in Procæmio:

Quodcunque remedium simplex Opobalsami vires, quantum ad confectionem Theriaces ac Mithridatii imprimis attinet, exactius æmulatur, ac sincerum facillimè, minorique sumptu haberi potest, id utique alteri dubio, & fraudibus Myropolarum, uni lucro inbiantium, quam maximè exposito, est præferendum:

Tale succini est oleum, Ergo &c.

In minori propositione nonnihil laboris impendendum, in qua cardo rei controversæ vertitur. Priora enim pro confesis sumuntur. Nam composita assumere quando simplicia ejusdem virtutis haberi possunt, naturæ est injuria, & temeritas vel ostentatio humana. Composita Balsama non paucis placuerunt pro Opobalsamo supponi, nec nobis ex oleis herbarum odoratarum, quas patria tellus subministrat, deficeret

succedaneum, si id ageremus ut per ambages à recto itinere deflecteretur. Cæterum convenientius simplici Opobalsamo simplex succedaneum substituitur, ut quod per pauca fieri potest, per plura non tentetur. Similitudinem intercedere inter succinum nostrum album & Opobalsamum, nemo diffitebitur, qui succi generationem & virtutes expendit. Nostrum voco. Non solum enim ex Borussia prodit, sed ad littora Cimbriæ nostræ copiose eructat mare, imò in fossis urbis hujus Regiæ, cum nuper pomœria ampliarentur, multa frustra magna & parva à fossoribus eruta fuere. Vegetabile esse, sit verosimile. Nisi fallit conjectura, est lacrima arboris piceæ ex sylvis mari vicinis aliunde profluens, & ad littora nostra appellens, quæ à maris falsedine induratur. Antiquorum plurimi ita crediderunt, de quibus non loquar. Ex posterioribus Olaus Magnus l. 12. c. 6. & 20. scribit in Gothiæ, Finnoniæ, Sueciæ littoribus & ripis, rumpi arbores, pini vel abietis similes, æstuosis mensibus, inque mare delatum gummi devehiri in objectum meridionale latus Borussiæ. Erui-
tur quidem hinc inde ex terræ visceribus, sed quæ patrum nostrorum ætate, mari subjacere. Alii de

Succini generatione dato studio egerunt, ut in scribendo brevitatem mihi debeam imperare. Nobis in præfenti sufficit liqvidam resinam in primo ortu fuisse, quæ coagulata à sale marino consistentiam solidam monstrat, sicut alia oleosa à Spiritu Salis Chymicorum congelantur. Ex Succino oleum, quod per rectificationem extrahitur, in consistentia liqvori balsamico affine, easdem ferè pro ætatis ratione mutationes patitur. Calidus & ficcus hic est gradu secundo, illud calefacit in primo, ficcatur in secundo, cum quo convenit censura Aëtii tetr. i. f. i. & Oribasii l. 15. Collect. Medic. c. 1. ex Galeno, tantam balsamo non inesse caliditatem, quantam nonnulli arbitrantur, partium tenuitate decepti. Posset & oleum succini intensius calefacere separatis prius arte Chymica crassioribus particulis. Hinc uterque liqvor oleosus pingvisque, astringendi, roborandi & pro varia subjecti ratione, aperiendi, purificandi, putrediniqve resistendi facultate pollet. Innumerae olei succini decantatae dotes, quas Boëtius l. 2. hist. gem. & lap. Libavius l. de Nat. Succin. c. 4. aliique non pauci pleno ore deprædicant, nobis cottidiano usu approbatas, non remorantur susceptum sermonem. At si quidem
The-

Theriaces virtus in morbis malignis & pestiferis maximè elucet, quibus roborando corpus & sudores movendo resistit quasi Herculeæ manu, certos nos fecit Doctorum autoritas & communis experientia, oleum succini nihil hoc passu cedere Opobalsamo. Crollio si credimus in Basil. Chymica, in peste una gutta mane & vesperi naribus affricata omni veneno resistit. Correpto datur à Scrupulo uno ad duos in aqua Cardui benedicti. Confert quoque in deliquiis animi, languore & palpitatione cordis. Easdem facultates repetit P. Jo. Faber l. 4. Myroth. spag. c. 14. Mirisque modis extollit Boëthius de Boot l. 2. c. 160 olei usum docens ad aëris contagia, pestem ac catarrhos prohibendos. Ad Theriacam ideò in primis utile censet Döringius de Opobals. c. 3. sect. 3. ut opii vim Narcoticam hebetet, & ex adverso reliquas antidotorum vires multò præstantiores efficiat. Varias ejusdem olei utilitates in Chirurgia & Pharmacia alibi quærat, cui volupe. Mihi curæ fuit per experimenta discere quanta affinitate ad Balsami Orientalis vel Tolutani naturam accederet. In aqua tepida immissum, instar Opobalsami & balsami albi Occidentalis, fundum non petit, sed supernatat in superficie amplo

amplo spatio se diffundens. In lacte quoque lactescit, sive ita unitur ut colore ab illo discerni non possit, per superficiem late dilatatum, ipsumque lac coagulat. In uno deficit, quod colligi iterum & integrum extrahi nequeat cum refrixerit aqua vel lac. Istas notas in Opobalsamo veteres annotarunt, & in balsamo Occidentali albo expertus sum, ut pronuper monui. Repetii eadem de albo experimenta, nec sefellere, & ut vel consensus vel dissensus ab aliis innotesceret, non destiti ad examen illa vocare quibus adulterari Balsama possent. Sed Terebinthina Cypria nullam in aqua vel lacte mutationem ostendit. Supernatat quidem sed contracta manet gutta in superficie, nihil expansa. Ita & se gerit Styrax liquida. In gutta terebinthinæ jucundum est spectare, quod, sicut in aceto lapis stellaris, ita illa in aquæ superficie obambulet ab una pelvis parte ad alteram, donec ad latus vasis impingat, nec isto tantum motu recto feratur, sed in gyrum se volvat. Quæ ideò tentare volui, ut liquido constaret nec hujus nec illius mixtione vitiatum esse balsamum album, quod ad Theriacam laudavimus, quandocunque tanta copia suppetit, quantum Theriaces Dispensatio requirit. Oleum autem

succini rectificatum, quod probare institui, vel
ideò se pro succedaneo incorrupto asserit, quod
notis plerisq; Opobalsamo par in experimento
compareat. Tantum ei pretium statuit Lau-
rentius Eichstadius Vir non obscuræ famæ, ut in
Theriaca Stetini dispensata 1624, non dubitave-
rit amplissimè commendare, quippe quod quoad
substantiam, consistentiam, qualitates & virtutes
cum Opobalsamo non adeò sit inconveniens.
Optimum censetur ex albo succino elicatum,
ita quippe colorem lacrymæ balsamicæ recentis
pressius æmulatur. Exiguas quidem succini albi
particulas littora nostra & terræ rejectant, ex
quibus parum olei expresseris; non terremur
tamen ista naturæ parsimonia ut à suscepta sen-
tentiâ nos patiamur dimoveri. Naturæ defe-
ctum, si quis sit, ars supplet, vel si ea opem negat,
flavo acquiescimus. Succini albi præparatio ar-
tificialis ab Hartmanno Not. in Croll. traditur,
coqvendi in cucurbita terrea cum sale marino
vel gemmæ vel communi, aliquoties superaffusa
aqua pluviali. Luxuria Romanorum nomen
succino, quod ad littus Suevici maris legebatur,
gleffum vocatum, dedit, ita volente Tacito l. de
Mor. Germ. ubi apertè cum Balsami liqvore com-
parat,

parat, & arborum nostrarum succum confirmat. Ita loquitur gravissimus Autor: Succum arborum esse intelligas, quia terrena quædam atq; etiam volucra animalia (*musca*) plerumq; interlucent, quæ implicita humore, mox durescente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosq;, sicut orientis secretis, ubi thura balsamaq; sudantur, ita Occidentis Insulis terrisq; inesse crediderim; quæ vicini solis radiis expressa atq; liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Præclarum pro succino nostro est testimonium Cornelii. Eo eum Casiodorus solo nomine vocat. Comparat thura & Balsama Orientis, cum succino Occidentis, nostriq; maris Balthici, quod olim Suevicum dicebatur, littora & Insulas à succini fertilitate extollit. Æsthyorum gentes, de quibus ibidem sermo est, Esthones esse Balthici maris accolæ dubitari non potest, ubi succini hodieq; ingens proventus. Lacrymam esse arboris credit, sicut Balsami liquorem. An ex melle & cera, quæ in iisdem Insulis & terris Occidentis proveniunt, succinum & ambra generentur, quod suspicatur Petrus Borellius Cent. 4. Obs. Med. 66. dijudicent alii. Nos in præsentī aliud agimus.

Utroq; certè vitiabatur olim Opobalsamum, modumq; tradit Plinius, lib. 12. cap. 25. verum à falso discernendi. Nam carbone deprehenditur quod cera resinaq; adulteratum est, è nigriori flamma, & melle mutatum statim *manu* contrahit muscas; ita quippe, addita manu, ex utroq; exemplari legit Pintianus, quanquam etiam sine *manu* saluum sit experimentum. De luxuria ex succino quod conquiritur Tacitus, de Theriaca apertius Plinius profitetur, excogitata luxuriæ compositione. Dignus locus extat lib. 29. cap. 1. plurimum lucis allaturus nostro argumento, quia domi nata peregrinis in hac Compositione præferre exorsi sumus. Ipse in hanc rem audiri meretur, utinam à nostris exaudiatur. Invehi peregrinas merces, conciliariq; externa pretia, displicuisse majoribus crediderim equidem, non tamen hoc Catonem providisse, cum damnaret artem. Theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ. Fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. Mithridaticum antidotum ex rebus LIV. componitur, interim nullo pondere æquali, & quarundam rerum sexagesima denarii unius imperata. Quo Deorum perfidiam istam (vel ut ex vetusto codice

lice scribunt alii, per fidem ista) monstrante?
hominum enim subtilitas tanta esse non potuit.
Ostentatio artis & portentosa scientiæ vendita-
tio manifesta est. Quicquid verò contra Com-
positiones istas quæ tot secula longa serie nume-
rant, declamet Vir Naturæ consultus & facun-
lus interpretes, hætenus mortalium vota si non
implerunt, certè excitarunt magnifici tituli nec
contemnendi effectus. Non minor erit Becke-
ianæ Dispensationis, quam accuratè expensam
omni jure approbavimus, utilitas, utinam rarò
eventanda, in qua parem attulit Beckerus noster
& fidem & industriam. Quæ ad Theriacam
Danicam complendam porro restant ad aliam
occasionem reservabo, ut discat tandem patria,
suis bonis contenta, naturæ domesticæ
muneribus acquiescere.

MITHRIDATIUM DAMOCRAT
INDUODECUPLO DISPENS. IN
OFFICIN. BECKERIANA

1671.

R.  Yrrhæ Arabicæ,
Crocī optim. Austr.
Agarici alb.
Zinziberis,
Cinamomi,
Spicæ nard.
Thuris elect.
Thlaspios ana uncias quindecim.
Seselios,
Olei nuc. moschat.
Schoenanthi,
Stœchad. Arabic.
Costi ver. arom.
Galbani depurati.
Terebinthinæ,
Piperis long.
Castorei Moscovit.
Succi Hypocistidis,
Styracis bon. depurat.
Opopanaxis,

Mac

Macis & Cariophyll. ana unc. duodecim.
Casfiæ lign.
Polii mont. Cret.
Piperis albi,
Scordii nostr.
Sem. Dauci cret.
Cubebæ,
Cypheos troch.
Bdellii ana uncias decem semis.
Nard. celt. purg.
Seminis Petroselini nostr.
Gummi Arabici,
Opii Thebaic. depurat.
Cardamomi,
Sem. fœniculi nostr.
Gentianæ nostr.
Flor. rosarum rubr.
Diptami Cret. aa uncias septem semis.
Anisi,
Aristoloch. rotund. veræ.
Acori nostr.
Valerian. nostr.
Sagapeni in granis ana uncias quatuor semis.
Angelicæ nostr.
Succi Acaciæ Ægypt.

Ventr.

Vent. Stinci marin. ver.
 Summitat. Hyper. nostr. aa unc. tres drach. f.
 Vini quantum satis,
 Mellis despumati triplum i. e. lib. ii 6. unc. tr

TROCH. CYPHEOS.

Secund. description. Disp. Hafn.

R. Uvarum pass. seu Cybebarum,
 Terebinthinæ coct. ana uncias tres,
 Myrrhæ,
 Schoenanthi, ana unciam unam semis,
 Acori nostr. Drachmas novem,
 Cinamomi unciam semis,
 Bdellii unguinosi,
 Spicæ Ind.
 Casiæ lign. ver.
 Cyperi,
 Baccar. juniper. ana drachmas tres.
 Asphalathi drachmas duas semis,
 Croci drachmam unam,
 Mellis quantum satis.
 Vini cretici modicum.

Fiant Trochisc.

